

ina 20 Decemb. 1667, et novissime in *Faventina* 13 Maii 1727, et pluries etiam sacr. congreg. Concilii et Episcop. ac Regul. ut refert Ursaya, tom. IV, part. 1, discept. 3, a n. 8, cum aliis ibi cit.

(23. Si tamen adsit alicubi consuetudo, ut fruatur privilegiis exemptionum etiam non habentes dicta requisita, talis consuetudo debet servari, ut declaravit sacr. congreg. Immunit., in *Policastren.* 23 Decembr. 1636, lib. III *Decretal.* Paul., pag. 20, apud Riccium, in *Synopsi*, verb. *Tertiarii*, n. 3, ubi sub n. 6 subjungit: « Et ubi asseratur contraria consuetudo, nihil innovetur, tam per curiam ecclesiasticam quam laicam, donec cognitum sit de tali consuetudine. » Sacra congreg. Immunitat., in *Saonen.* 9 Maii 1695, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 188, quem citat, et sequitur card. Petra, *loc. cit.*, n. 16.

(24. Tertiarios utriusque sexus ad habitum propriæ religionis admittere et recipere possunt omnes regulares ad id facultatem a Sede Apostolica obtinentes, et juxta legitimam consuetudinem cujusvis ordinis, sive superiores immediate per se sive per alios ab ipsis delegatos. *Communis.*

(25. Deveniendo autem specialiter ad Tertiarios utriusque sexus ordinis Minorum, varia pro diversitate temporum, locorum et personarum emanarunt Apostolica decreta, quibus brevitate gratia relictis videndis, tum apud Orbem seraphicum P. de Gubernatis, tum apud Lantuscham in *Theatro regularium*, tum apud Matthæuccium, *Official. curiæ*, capit. 52, tum apud card. Petram, tom. III *Commentar.* ad constitution. 4 Nicolai IV, et tom. IV *Commentar.* ad constitut. 13 Martini V, tum apud Bullarium Clementis XI, in *Decretis memorabilibus sacræ congregationis.* Hic solum juvat referre novissimas constitutiones ad id editas a Benedicto XIII.

(26. Et primo refertur ejusdem Benedicti XIII constitut. 6, incip. *Paterna Sedis Apostolicæ providentia*; edita die 10 Decembris 1725, in qua sub § 4 omnia privilegia a Summis Pontificibus Tertio Ordini Sancti Patris Francisci concessa approbantur et renovantur. Et sub § 5 declaratur juxta alias antecessorum Pontificum declarationes, quod triplex Tertiariorum status unum et eundem Tertium Ordinem, sanctum, meritorium et verum, non confraternitatem componit, et denuo eorum Regula confirmatur. Et sub § 6 minister generalis totius ordinis Minorum, et secundarii superiores confirmantur in auctoritate supra omnes tertiarios utriusque sexus. Et sub § 9 ministro generali totius ordinis injungitur propagatio Tertiariorum utriusque sexus per universum orbem, eidemque ministro facultas conceditur statuendi quæ bonum eorum respiciunt. Et sub § 10 declaratur quod solis superioribus Minorum de Observantia private ad alios competit quoscunque recipere ad Tertium Ordinem, ejusque confessorium et visitatorem, qui præsideat et rationes examinet, assignare. Et sub § 11 declarantur omnia irrita et mera attentata

quæcunque ab aliis præter voluntatem dictorum superiorum de Observantia circa tertios ordines istos, aut innovari, aut mandari contigerit. Et insuper declaratur quod ubi jam est institutus et fundatus dictus tertius ordo, alii fundari minime possint, nec a conventu, ubi jam fundatus est, possint transferri ad alium dicto generali ministro totius ordinis non subjectum, et quod alias inter tertios ordines approbatos ab Apostolica Sede habendi non sint, nec gaudeant indulgentiis et privilegiis tertio huic ordini per eandem Sedem Apostolicam impertitis.

(27. Deinde nono Kalendas Junii 1726, idem Benedictus XIII, constitut. 17 incip. *Ratio Apostolicæ ministerii*, statuit quod Tertiarii PP. Capuccinorum ubicunque existentes, ab eorum ministro generali, et non ab alio dependeant, et fruatur omnibus indulgentiis et gratiis Tertiariis Fratrum minorum concessis.

(28. Et postea die 6 Julii 1726, idem Pontifex Benedictus XIII, constit. 29 incip. *Singularis devotio*, decrevit quod Tertiarii PP. Minorum conventualium fruatur privilegiis et gratiis spiritualibus, quæ cæteris Tertiariis concessæ fuerunt. Quæ tres tamen constitutiones fuerunt una cum aliis moderatæ et redactæ ad terminos juris a Clemente XII, constit. incip. *Romanus Pontifex.*

(29. At vero postremo die 21 Junii 1728, idem Benedictus XIII, constit. 47, incip. *Dilecti filii*, denuo confirmavit quæ pro Tertiariis Minorum de Observantia in cit. constit. 6 incip. *Paterna Sedis Apostolicæ providentia* sancita sunt. Et hic ad uberiores et clariorem notitiam dantur præcisa hujus constitutionis verba sub § *Præterea* contenta, ibi: « Præterea quæcunque indulgentias, indulta, privilegia, prærogativas, favores, exemptiones, libertates, extensiones et concessionem, tam in genere quam in specie in memorata constitutione, quæ incipit *Paterna*, Tertiariis Fratrum Minorum de Observantia tributas, et per alias superius indicatas ad Tertiarios Fratrum Minorum conventualium et Capuccinorum, eorumque superiores extensas et ampliatas tenore præsentium confirmamus et approbamus, et quatenus opus sit, ipsis fratribus conventualibus et Capuccinis, eorumque tertiariis; in iis tamen, quæ præfatæ nostræ constitutioni pro observantium Tertiariis editæ non adversantur, et non alias de novo concedimus, mandantes potissimum, ut quæ in ipsa circa erectionem unius duntaxat congregationis Tertiariorum pro unaquaque civitate aut loco, deque eorum transitu præscripta et sancita sunt, aliis posterioribus nostris non obstantibus inviolabiliter observentur. » Et hæc postrema constitutio, cum non sit hæcenus revocata nec moderata, est simpliciter attendenda et per extensum est adducta sub verb. *RELIGIONES REGULARES*, art. 5, n. 55.

(30. Unde expresse patet quod in quibuscunque civitatibus aut locis, ubi erectus est seu fundatus ordo seu congregatio Ter-

tariorum utriusque sexus a Minoribus de Observantia, non potest amplius erigi nec fundari a PP. conventualibus et PP. Capuccinis. Nec ab ipsis possunt alii ad habitum Tertii Ordinis recipi et admitti, alias nullis gauderent indulgentiis et privilegiis, ut expresse sancitum est in dicta constitutione *Paterna*. — Nota. Attamen quidquid sit de hoc, nunc vide quæ in tom. II, sub verb. *CAPUCCINI*, n. 1, novissime adducta sunt et concludere sicut ibi.

(31. Tertiarii utriusque sexus Ordinis Minorum, etiamsi in propriis domibus sæcularibus habitent nec habeant requisita constitut. Leonis X et decreti generalis sacr. congreg. allati supra sub n. 3, gaudent omnibus indulgentiis, quibus gaudent ipsimet Fratres Minores ac moniales S. Claræ. Vide verb. *INDULGENTIA*, art. 5, a n. 23 ad 27, ubi multa de plurimis indulgentiis, quibus fruuntur dicti Tertiarii utriusque sexus, etiamsi in propriis domibus sæcularibus habitent.

(32. Dicti tamen Tertiarii ordinis Minorum, sicuti et cæteri alii, si non habeant præfata requisita constitut. Leonis X et decreti generalis sacræ congregationis, non gaudent, nec privilegio fori, nec canonis, nec exemptione aliqua ab oneribus et muneribus publicis aliorum laicorum, et patet ex adductis supra n. 22.

(33. Nisi tamen alicubi adesset consuetudo, ut fruere privilegiis exemptionum etiam non habentes dicta requisita, ut per allata decreta sub n. 23.

(34. Ad hoc, ut Tertiarii utriusque sexus, in propriis domibus sæcularibus degentes gaudeant omnibus indulgentiis, quibus gaudent ipsimet Fratres Minores et moniales S. Claræ, sufficit ut recipiant et deferant habitum juxta morem et formam, quæ pro diversitate regionum hæcenus ab eisdem Tertiariis servata est; sic colligitur ex cit. constit. Benedicti XIII incip. *Paterna Sedis Apostolicæ providentia*, § 10, ubi expresse conceditur superioribus nostri ordinis: « utriusque sexus Christifideles juxta morem dicti ordinis recipere. » quæ constitutio confirmata est in citata alia ejusdem Pontificis incip. *Dilecti filii*, quæ hæcenus nec est revocata nec moderata. Item ex ejusdem Benedicti XIII constitut. incip. *Pretiosus*, § 54, ibi: « Retineri tamen posse habitus formam, quæ pro regionum diversitate hæcenus ab eisdem Tertiariis servata est. »

(35. Etiamsi sit parvus habitus seu parvum scapulare, ut sæpe sæpius ipsum sic appellatur a sacra congregatione, tum a Summis Pontificibus, et signanter in causa vertente inter Capuccinos et Minores de Observantia regni Sardinie, ubi quærebatur, an Patribus Capuccinis regni Sardinie liceat dispensare seu distribuere habitum seu *scapulare parvum* cum cingulo S. Francisci? Et sacra congregatio Episcop. et Regul. die 16 Novembr. 1703, respondendo ad quæsitum vocat ipsum *scapulare* seu *habitum parvum*. Quod et confirmant Clemens XI, constitut. incip. *Emanarunt nu-*

per, et Benedictus XIII, constit. incip. *Ratio Apostolicæ ministerii*, ipsum appellando, ut ipsa sacra congregatio, *scapulare* seu *habitum parvum*; sub quo nomine et modo, sive forma ipsum non vocassent, nec permisissent, si non sufficeret pro lucrands indulgentiis ipsum recipientibus, et defertibus concessis. Vide dictam constitut. incip. *Ratio Apostolicæ ministerii*, in qua continetur dicta constitutio Clementis et decretum sacr. congregationis: et revera Pater Michael Angelus a Bugliasco in Regula Tertii Ordinis Pœnitentium Seraphici P. Sancti Francisci typis edita Januæ, cap. *Dell' utilità di quest' ordine de' Penitenti*, pag. 81, sic habet expresse: « Portano i Fratelli e Sorelle di quest' ordine lo scapulario sotto le vesti cinto col cordone, il quale se sarà solo un terzo di palmo, come concede Giulio II, avra le cordicelle per poterlo cingere. »

(36. Tum quia, ut habetur in Compendio privilegiorum Fratrum Minorum, et aliorum Mendicantium, et non Mendicantium ab Alphonso Casarubios secundo edito, et a P. Hieronymo a Sorbo quibusdam additionibus locupletato sub verb. *Tertiarii fratres et Sorores* § 29: « Innocentius VIII concessit ut suscipientes habitus mantellatorum sive mantellatarum ordinis S. Augustini, licet habitum illum cum licentia prioris loci non retineant, nec continue deferant, corrigiam tamen retinentes ac deferentes, eisdem privilegiis, gratiis, immunitatibus et indulgentiis gaudeant, quibus ipsi mantellati et mantellatæ gaudere possunt. » Unde dicendum est quod simili modo per viam communicationis gaudeant iisdem indulgentiis Tertiarii ordinis Minorum deferentes cingulum, et insuper ipsum *scapulare* seu *parvum habitum*, ut appellant citati Pontifices et sac. cong. Eo vel maxime quod chordigeri lucrari possunt etiam illas indulgentias, quas Paulus V concessit omnibus regularibus et indulgentias omnes Fratribus Minoribus directe et in specie concessas, ut patet ex dictis sub verb. *INDULGENTIA*, art. 5, n. 30 et 31.

(37. Habitus Tertii Ordinis S. P. N. Francisci non potest conferri nisi a superioribus ordinis, aut ab aliis ab ipsis delegatis; et nullatenus conferri potest ab aliis Tertiariis, ut referente Ursaya, tom. VIII, p. 1, discept. 1, decisum fuit a sacra congreg. Episcop. et Regul., in *Faventina Superioritatis*, inter PP. reformatos Sancti Francisci Faventie et Tertiarios Sancti Antonii ejusdem civitatis, in qua die 18 Junii 1717, proposita causa in congregatione Episcop. et Regul. per card. Corsinum sub sequentibus quatuor dubiis:

« I. An donatio facta Patribus sustineatur in casu, etc.

« II. An Tertiarii sint subjecti gubernio spirituali PP. Reformatorum in casu, etc.

« III. An Tertiarii possint alios admittere ad habitum, eorumque professiones recipere. Et quatenus *Affirmative*.

« IV. An admissiones ad habitum et pro-

fessiones hactenus secutæ in manibus Tertiariorum sustineantur.

« Ad I. Responsum fuit *Affirmative*.

« Ad II. *Affirmative* in concernentibus spiritalia in Ecclesia S. Antonii.

« Ad III. *Negative*.

« Ad IV. Pro sanatione. »

(38. Tertiarii utriusque sexus post annum integrum probationis seu novitatus a die recepti, seu suscepti habitus professionem emittunt in manibus superioris ordinis seu visitatoris sub hac forma :

« Io fratello N. o Sorella N. prometto a Dio onnipotente, ed alla B. Maria sempre Vergine, ed al beato S. Francesco, ed a tutti i santi del cielo, ed a voi Padre, d'osservar tutto il tempo dimia vita la Regola de' Frati di Penitenza instituita dal P. S. Francesco, e per Papa Niccolò IV confermata, e i comandamenti di Dio, e soddisfare come conviene per le trasgressioni, che commetterò contro questo modo di vivere, ogni volta che sarò domandato dal mio visitatore. »

(39. Et hæc formula professionis est ad tenorem præscriptæ in capite secundo ejusdem Regulæ Tertii Ordinis approbatæ a Nicolao IV, constitut. incip. *Supra montem*, ut etiam recte observat Matthæucc., loc. cit., n. 9.

(40. Ex qua formula professionis et præsertim ex illis verbis, *instituita dal Padre S. Francesco*, clare stat dictam Regulam Fratrum et Sororum de Pœnitentia fuisse a Seraphico nostro P. S. Francisco, Deo inspirante primo concinnatam, et non a Nicolao IV, ut aliqui non satis de hac re conscii existimarunt; et id expresse asserit Leo X, constitut. incip. *Inter cætera*; ubi pluries ait dictam Tertiariorum Regulam fuisse a S. P. Francisco editam et a Nicolao IV confirmatam, et approbatam; quod et asserit Laertius Cherubin. ad constitut. 2 Nicolai IV, et 42 Leonis X. Idem cæteris clarius sæpius affirmat Clemens VII, constitut. incip. *Ad uberes fructus*; et jam a sua origine fuit hic Tertius Ordo communiter S. Francisci a Summis Pontificibus appellatus, et uti talis recognitus, plurimis privilegiis ornatus, ac omnibus archiepiscopis et episcopis, aliisque prælatis summe commendatus, ut apparet ex brevi Gregorii IX, incip. *Detestanda humani hostis*; quod et fecit Innocentius IV, brevi incipien. *Debemus Nos*, aliique Summi Pontifices Nicolao IV anteriores. Unde Minoritica religio in officio ejusdem Seraphici P. Sancti Francisci a Sancto Bonaventura præcipue commo sito et a S. Romana Ecclesia comprobato, Antiphona tertia ad laudes solemniter canit: *Tres ordines hic ordinat; primumque Fratrum nominat Minorum, pauperumque fit dominarum medius, sed pœnitentium tertius sexum capit utrumque*. Facile tamen crediderim Nicolaum IV ejusdem Sancti Patris Francisci filium, quædam ex suis inseruisse, aliquidque pro temporis, et ipsius ordinis ratione immutasse; quorum utrumque ipse Nicolaus IV non obscure insinuavit

constitut. incip. *Unigenitus*, quam refert Antonius de Sillis, lib. *De origine et profectu Tertii Ordinis*, tom. II, p. 7, et sequitur eruditissimus P. Waddingus, tom. II *Opusculorum B. Franc. in Argumento regulæ Tertiariorum sive Fratrum de Pœnitentia*; ubi ante hæc habet:

(41. « Quam (pœnitentiam) dum cœlesti fervore et cumulado fructu in multis Italiæ locis beatus hic legislator noster prædicaret, sed præcipue in oppido Canarii, quod in Umbria in valle Spoletana per quatuor millia passuum ab Assisio distat, oppidani omnes, et ex aliis pagis et civitatibus turmatim ad virum Dei ejus prædicationis igne succensi, nulla cura distracti, et se novis pœnitentiæ legibus vincere velle significabant. Qui ne imbecilles mulieres, et periculis facile expositas, consortium præsidio orbaret, nec homines uxorum licita et optata societate privaret, et loca urbesque penitus depopulari videretur, nec hos in religiosorum sodalium recipere, nec illas in sanctimonialium claustra recludere, consultum judicavit. Unde communem utriusque hoc institutum præscripsit ad 14 plenæ conversionis annum, et virginæ partus 1221, in quo utriusque sexus omne genus, tam sæcularium quam ecclesiasticorum facillime, et sub suavi jugo, sub propriis tectis, propria gaudens hæreditate, Deo inserviret, ordinem suis statutis firmavit, legibus munivit, et propria regula corroboravit. » Hæc ille.

(42. Unde S. P. N. Franciscus inter omnes religionum regularium fundatores primus, ni dicam unicus, fuit qui Tertium Ordinem de Pœnitentia instituit, cujus exemplum deinde aliquæ aliæ præsertim mendicantes secutæ sunt religiones, ut tradit P. Antonius de Venetiis, in *Viridario Seraphico*, italice impresso tom. I, p. 4, cap. 12, et alii de hac re scribentes. Eumque S. Pater de Pœnitentia nuncupavit, fortasse, ut placet S. Bonaventuræ, quia sicut pœnitentia est via communis ad cœlum, sic ordo iste ejuscunque status et sexus viros, feminas, clericos et laicos solutos et ligatos, seu conjugatos amplectitur, ac neminem excludit, omnesque hunc ordinem ingredi, illumque profiteri possunt; sicque per omnium pœnitentiam in hoc mirifico ordine omnibus commodam, omnibusque ab ipso paratam, verificetur universalis prolabantis Ecclesiæ reparatio sibi a Jesu Christo, e cruce pendente miraculose indicta, juxta primam laudum Antiphonam in festo ejusdem Sacrorum Stigmatum a minoritica religione a Sede Apostolica comprobata quotannis cani consuetam: *Crucis vox hunc alloquitur, ter dicens: Tu te præpara; vade, Francisce, repara domum meam, quæ labitur*; (43. quapropter de eo grata sancta Catholica Romana Ecclesia tanto pro beneficio recepto medio Seraphici S. P. N. Francisci, ac trium sacrorum ordinum ab ipso institutorum, in coronatione Summi Pontificis, nullius alterius sancti canit col-

lectam præter illam ipsius, tres duntaxat canendo, primam nempe de Spiritu sancto, ut eam illuminet; secundam de B. M. V., ut eam protegat; tertiam de S. P. N. Francisco, ut sicut eam a casu reparavit, eandem continue sustentet, uti jam adnotavimus sub verb. PAPA, art. 1, n. 73, et notant passim de hac coronatione scribentes.

(44. Et fuisse vere hunc tertium ordinem a S. P. N. Francisco institutum, Christus, ipse testari voluit mysteriosa illa ac miraculosa revelatio in monte Alvernæ ei facta ipsi apparens in forma Seraphim, terque ei dicens, ut aliquid donaret, ac omnibus nudus Seraphicus Pater, suo in sinu tres aureas monetas miraculose reperiens, easdemque statim ipsi Christo summa cum lætitia elargiens, meruit hæc ab ipso audire: Scias, Francisce, tres has pretiosissimas monetas mihi elargitas, tres illos esse ordines a te tanto charitatis, ac pietatis favore institutos, quorum præmio ac remuneratione mox te faciam mearum plagarum particeps; ut sic te ducem ac signiferum meæ passionis et crucis constituam. Inde, ut ostenderet Christus Dominus æque sibi gratam fore pretiosam illam auream monetam hujus Tertii Ordinis, ac alias duas aliorum duorum ordinum, sicut hos duos, ita et istum amplissimis favoribus insignire voluit, tum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ et gloriæ, ipsum ditando innumerabilibus potentatibus, imperatoribus, imperatricibus, regibus, reginis, utriusque sexus ducibus, ac principibus, marchionibus, marchionissis, comitibus ac comitissis, aliisque conspicuis undequaque personis, etiam ecclesiasticis, episcopis nempe, archiepiscopis, patriarchis, cardinalibus, et insuper etiam pluribus Summis Pontificibus, qui teste Miranda, in *Regula Tertii Ordinis*, pag. 340, huic Seraphico ordini se ascripserunt, et sub Pontificiis vestibus suum sacrum habitum gestaverunt, ut vere ac jure gloriarum possent se esse filios Seraphici patriarchæ institutoris. E quibus omnibus supradictis plurimi virtutum laude, miraculorum gratia, et sanctitatis gloria conspicui evasere, ac in dies continue evadunt, ut videre est apud Antonium de Sillis, Waddingum, Mirandam, Petrum Antonium de Venetiis, Chronicas Fratrum Minorum, omnesque de hoc mirifico tertio ordine S. P. N. Francisci scriptores, et Regulæ expositores, de qua merito potest dici illud Apostoli ad Galatas cap. vi, v. 16: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia*.

(45. Tertiarii utriusque sexus hujus Tertii Ordinis, non obstante supradicta formula emissæ professionis, per transgressionem præscriptorum, in sua Regula, nisi alias ad eas sint obligati ex divinis, vel ecclesiasticis præceptis, nullum committunt peccatum, nec mortale, nec veniale; et quod nullum incurrant peccatum mortale, habetur expresse decisum a Nicolao IV, in cit. constitut. *Supra montem* cap. 20 ipsiusmet regulæ, ubi: « Cæterum in præmissis omni-

bus, ad quæ fratres vestri ordinis, non ex divinis præceptis vel statutis tenentur Ecclesiæ, nullum ipsorum ad culpam mortalem volumus obligare, sed impositam sibi pœnitentiam pro transgressionis excessu prompta humilitate recipiant, et efficaciter studeant adimplere. » (46. Item a Leone X, constitut. 42 incip. *Inter cætera*, cap. 10: « ejusdem Regulæ contenta sunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum, et nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel divino jure aliquis alias esset obligatus. Obligantur tamen Fratres et Sorores facere pœnitentias sibi a superioribus impositas, quando super hoc requiruntur. » Ubi, ut clare vides, hic Pontifex expresse declarat quod nulla contenta in dicta Regula sint obligatoria ad peccatum nequidem veniale, ibi: « Nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale. »

(47. Hinc, ut recte monent passim doctores, debent Tertiarii utriusque sexus, antequam professionem emittant, plene instrui a superioribus, seu visitatoribus, aut commissariis specialiter deputatis, quod præfati Pontifices nolunt eos ex vi professionis et Regulæ, obligari, nec ad peccatum mortale nec veniale, nisi propter ignorantiam et errorem existiment se ad promissa in vim promissionis sub culpa obligari.

Tertiarii nostri ordinis in sæculo degentes possunt uti nostro Breviario Franciscano. Vide verb. OFFICIUM DIVINUM, art. 3, n. 57, et seq.

(48. Alia ad rem. Vide verb. EREMITA, a n. 18, et verb. RELIGIONES REGULARES, art. 5, n. 14; verb. VESTIS, n. 17.

(49. Tertiarii qui nondum compleverint annum xx nequeunt retineri in conventibus. Vide verb. HABITUS, a n. 33 ad 35.

(50. Additur attendenda peculiaris constitutio Benedicti XIII incip. *Exponi Nobis*, edita 30 Septembris 1729, anno sexto sui Pontificatus, in qua ad instantiam P. F. Bonaventuræ Gervasi procuratoris generalis fratrum Tertii Ordinis S. Francisci ad tollendas quascunque molestias et vexationes, quas non minus Tertiarii sæculares hujusmodi, quam minister generalis, aliique superiores subalterni sibi inferri posse verentur ab iis locorum ordinariis, qui dictos Tertiarios sæculares suæ obedientiæ subjacere vellent, litteras suas anni 1725 10 Dec. editas anno secundo, per quas inter alia Tertiarii de Pœnitentia nuncupati, directioni, curæ et regimini ministri generalis, ac superioribus ordinis Sancti Francisci de Observantia subjiciuntur seu subjecti declarantur, confirmat ad tenorem constitutionis Clementis VII incip. *Dum uberes fructus*, et Pauli III incip. *Ad uberes fructus*; in quibus prædictus Tertius Ordo admissus fuit ad participationem privilegiorum quatuor ordinibus Mendicantibus, et nominatim ordini Fratrum Minorum S. Francisci ab S. Sede concessorum, et hanc participationem in suis litteris confirmatam, ad majorem cautelam denuo concedit: et dictas

suas litteras, quibus præfati Tertiarii curæ et regimini ministri generalis ac superiorum Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia subjiuntur seu subjecti declarantur, ad Tertiarios etiam sæculares Tertii Ordinis, ut ejusdem superiori directioni, curæ et regimini pariter subiaceant, auctoritate Apostolica perpetuo extendit et ampliat.

(51. Alia ad rem addita et observanda. Vide constitutionem Clementis XII incip. *Apostolica servitutis*; constitutionem Benedicti XIV incip. *Emanavit nuper*; aliam ejusdem incip. *Ad Romanum Pontificem*; et adhuc aliam ejusdem incip. *Inexhausti Ecclesie thesauri*; et attendenda est sequens resolutio sacr. congr. Episcop. et Reg., nempe:

« In causa Narniensi juris admittendi et vestiendi tertiarios vertente inter episcopum Narniensem, illiusque promotorem fiscalem ex una, et conventum et Patres Minorum Sancti Francisci Stronconii, illorumque Patrem procuratorem generalem ex altera, partibus, propositum fuit infrascriptum dubium, videlicet:

« An liceat regularibus Observantiæ admittere Tertiarias ad habitum sine votis, irrequisito ordinario, et an illarum admissio facta irrequisito episcopo sustineatur in casu? »

Sacra congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus Episc. et Regularium præposita, referente eminentissimo D. card. Bichi Ponente, partibus auditis ac re mature discussa, ad suprascriptum dubium respondit: « Affirmative, absque tamen ulla exemptione. »

« Romæ 5 Septembris 1738. »

(52. Huic articulo sub num. 17 addendum est quod excitata controversia inter episcopum Lunen., Sarzanen., et Tertiarias ord. S. Francisci de Observantia collegialiter in conservatorio Massæ viventes sub cura ditorum Patrum: sacra congregatio Concilii die 30 Januarii 1723 respondit « conservatorium esse subjectum omnimodæ jurisdictioni episcopi, citra tamen approbationem sacræ congregationis quoad dictum conservatorium. » Sic apud *Thesaurum resolutionum sacræ congregationis Concil.*, tom. II, in dict. *Lunen. Sarzanen.* Visitationis Sacrorum Liminum. (53. Nec obstat constit. Bened. XIII incip. *Paterna sedis Apostolicæ providentia* edita pro omnimoda exemptione Tertiariarum ordinis Minorum de Observantia a jurisdictione ordinariarum et parochiarum; nec alia ejusdem constit. incip. *Pretiosus* edita pro simili omnimoda exemptione Tertiariarum præclarissimi ordinis S. P. Dominici in qua § 55, ita sancivit: « Attendentes insuper per annos, ut accepimus, centum et sexaginta ab edita dicta constitutione S. Pii V, et per sæculum et ultra post decretum congregationis Episcoporum et Regularium emanatum 20 Decemb. 1626, ejusemodi Tertiarias collegialiter viventes pluribus in

locis, scientibus ac tacentibus ordinariis, floruisse, et etiam nunc florere sine clausura, declaramus, volumus et mandamus, eosdem ad neutram absolute teneri aut esse compellendas; non obstantibus contrariis ordinationibus, etiam Apostolicis, quibus expresse per præsentis derogamus. »

(54. Non obstat, inquam, dicta utraque constitutio Benedicti XIII, quia cum aliis ad favorem regularium editis ab eodem Pontifice, fuit utraque moderata et reducta ad terminos juris communis, concilii Tridentini et constitutionum Apostolicarum, a Clemente VII, tertio Kalendas Aprilis 1732, constitution. incip. *Romanus Pontifex* jam a me ad litteram adducta tom. V, verb. *Privilegium*, art. 3, num. 64, in qua sic expresse habetur: « Statuimus et decernimus, de omnibus et singulis prædictis Litteris et Constitutionibus, quæ ab eodem antecessore nostro Benedicto prodierunt, necnon de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus et declarationibus in iisdem contentis eam deinceps decisionem, ad iudicium etiam in foro conscientie habendum quod sive jure communi, sive ex concilio, sive ex decretis et constitutionibus Apostolicis, sive ex aliis legitime habebatur, antequam eadem litteræ et declarationes ab eodem Benedicto concessæ fuissent, perinde scilicet ac si illæ non emanassent, ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum ac terminum omnia superius enuntiata, omnino reducimus et reducta esse volumus, ita ut in posterum supradicti ordines regulares earumdem litterarum et constitutionum usu, commode et effectu penitus carere debere intelligantur. » Unde, ut vides, et recte tradit Bened. XIV, volum. V, notificat. 17, § 2, redit in pristinum jurisdictionem ordinariarum supra Tertiarias collegialiter viventes, ac si minime emanassent dictæ Benedictinæ constitutiones, eas a tali jurisdictione eximentes, qua dicta pristina jurisdictione utens ipse, seu vigilantissimus et zelantissimus archiepiscopus Bononiensis, uti sibi omnino subjectas eas libere visitavit. Vide ipsum volum. II, notificat. 9, cit. notificat. 17, § 2, ubi plurima scite et erudite suo more adducit ad rem.

(55. Sæculares Tertii Ordinis gaudent præcedentia supra quascunque laicales confraternitates. Sic expresse statuit Benedictus XIII, constitution. incip. *Ad nostram audientiam*. Et novissime Benedictus XIV, constitution. incip. *Emanavit nuper*, in qua confirmat etiam decretum sacræ congregat. Episcoporum et Regularium ad id editum. Et talis præcedentia eis competit, sive sub propria cruce, sive sub illa FF. incedant. Idem, *ibidem*. Eorum habitum esse non solum vestem totalem, sed etiam particularem, scilicet scapulare et cingulum, expresse declarat. Idem, *ibidem*. (56. Nova concessio et præfinitio indulgentiarum pro Fratribus et Sororibus Tertii Ordinis sæcularis S. P. N. Francisci Assisiensis facta est novissime ab eodem Benedicto XIV, con-

stit. incip. *Ad Romanum Pontificem*. Item nova indulgentiarum concessio pro personis sæcularibus utriusque sexus tam Tertio Ord. S. P. Francisci de Paula ascriptis quam Chordigeris ejusdem Sancti Funiculum benedictum deferentibus facta est ab eodem constitut. incip. *Inexhausti*. (57. Tertiarias subjectas esse jurisdictioni parochiarum, in quorum parochiis sine clausura conviunt, censuit sacra congregat. Concil. die 26 Aprilis 1749, in *Januen.* pro Tertiariis inelyti ordinis S. P. Dominici, et confirmavit idem Bened. XIV, const. incip. *Emanavit nuper*. Quæ omnes constitutiones attendendæ nunc sunt, non attentis amplius aliis, quæ in contrarium jam in Opere his de rebus tradidimus.

(58*. Mulieribus Tertiariis non collegialiter viventibus non possunt regulares dare habitum sui ordinis sine licentia episcopi diocesanæ, cui debent rite probare, habere se hoc privilegium Sedis Apostolicæ, feminas illas esse moribus probatas, habere

TESTAMENTUM.

ARTICULUS I.

Testamentum quoad ejus naturam, divisionem et solemnitates ad ipsius requisitas.

SUMMARIUM.

1. Testamentum unde sit dictum. — 2. Testamentum quid sit. — 3. Nullum testamentum quantumvis privilegiatum valet sine hæredis directæ institutione. — 4. Testamentum dividitur in solemne, et non solemne seu privilegiatum, et quale sit utrumque. — 5. Testamentum solemne subdividitur in scriptum et nuncupativum. — 6. Testamentum solemne scriptum quale sit. — 7. Testamentum solemne nuncupativum quale sit. — 8. Quamvis etiam hoc testamentum soleat hodie redigi in scripturam, non cessat esse nuncupativum. — 9. Ad valorem testamenti solennis scripti præter hæredis directam institutionem, requiritur primo, ut sit in scripturam redactum, vel manu ipsius testatoris, vel manu alterius de expresso ejus mandato. — 10. Si manu alterius sit scriptum, debet ei testator propria manu subscribere coram testibus, vel octavum testem adhibere, qui nomine et loco ipsius subscribat. — 11. Si autem ipsemet testator propria manu testamentum scripserit, non requiritur amplius propria, vel alterius octavi testis subscriptio. — 12. Necrefert, an isto vel alio tempore scriptum, dictatumque sit testamentum. — 13. Nec requiritur quod testator testamentum scriptum prælegat, sed sufficit quod scripturam clausam aut convolutam exhibeat testibus dicendo in illa suum contineri testamentum. — 14. Secundo ad valorem testamenti solennis scripti requiritur, quod in illo adhibeantur septem testes idonei. — 15. Testes, ut sint ad id idonei, debent esse masculi. — 16. Item debent esse liberi et non servi. — 17. Item debent esse puberes. — 18. Testes ad id idonei non sunt furiosi, muti, surdi. — 19. Item nec cæci. — 20. Item testes ad id idonei non sunt personæ suspectæ, ut ipse hæres in testamento institutus. — 21. Item neque is, qui in potestate testatoris seu hæredis est, neque pater ejus qui eum habet in potestate, neque fratres qui in ejusdem patris potestate sunt. — 22. Cæteri consanguinei et affines testatoris, seu hæredis, necnon famuli, officiales, ministri, ac domestici ejus testes ad id esse possunt. Imo etiam fratres jam emancipati, pater in testamento filii testatoris jam emancipati, item maritus in testa-

mentum uxoris. — 23. Possunt etiam plures ex eadem domo, quamvis consanguinei, ut pater et filius, duo vel plures fratres testes esse in eodem testamento, dummodo non sint sub patria potestate testatoris. — 24. De vigore juris canonici non possunt saltem licite extra casum necessitatis testes esse in testamentis et instrumentis, aliisque contractibus laicorum, nec clerici sine licentia episcopi, nec religiosi sine facultate sui prælati. — 25. Quamvis tamen id ipsis sit illicitum, validum tamen est eorum testimonium; etiamsi sine præscitu, et licentia superiorum testes in supradictis agant. — 26. Tertio ad valorem testamenti solennis scripti requiritur, ut omnes testes ita sint præsentis, ut testatorem non tantum audire, sed et videre possint. — 27. Quarto requiritur, non solum quod testes sint præsentis, sed insuper quod ad testificandum sint rogati, seu invitati, ac moniti. — 28. Quinto requiritur, quod testator testibus, ut supra, præsentibus scripturam clausam, aut convolutam exhibeat, dicendo in illa suum contineri testamentum. — 29. Sexto requiritur, quod testamentum sic exhibitum, vel propria manu subscribat, si ipsemet totum non scripsit; vel si subscribere nequeat aut nesciat, octavum testem, qui nomine ipsius subscribat, adhibeat. — 30. Septimo requiritur, ut omnes et singuli testes nomen suum propria manu subscribant, et illud subsignent anulo seu sigillo suo, aut alieno, etiam a testatore accepto. — 31. Octavo requiritur, ut totum negotium testamenti solennis scripti peragatur uno eodemque loco, et tempore unoque contextu. — 32. Ad valorem testamenti solennis nuncupativi requiritur, quod testator coram septem testibus idoneis, ut supra, et ad id specialiter rogatis, simul uno eodemque tempore ultimam suam voluntatem, tam circa hæredis institutionem, quam circa legata pronuntiet seu alias sufficienter manifestet, ita ut intelligi possit. — 33. Unde pauciores solemnitates requiruntur ad testamentum nuncupativum quam ad scriptum. — 34. Testamentum nuncupativum et testamentum scriptum in quo inter se differant? — 35. Supradictæ solemnitates requisitæ ad valorem testamenti de jure civili, non requiruntur omnes de jure canonico. — 36. De jure canonico ad valorem testamenti sive ad causas pias sive profanas non plus requiritur, quam adint duo testes idonei et parochus. — 37. Testes requisiti de jure canonico debent esse idonei ac testes requisiti